

# SUFFRAGIUM<sup>133</sup>

F. JACOBI HYACINTHI SERRY

ORD. PRÆDIC. &c. &c.

## FACTI SPECIES

*Sacro Theologorum Collegio proposita.*

**P**YRAUSTA Vir eximia virtutis, simplex, rectus, ac timens Deum, & recedens a malo: (a) in Hispaniis natus, humili genere, honestis Parentibus, mediocri fortuna: Puer pascendis gregibus, Adolefcens agriculturæ deputatus: Junior servitio alieno mancipatus, varias expertus vicissitudines, a Deo tamen præventus, mirifice profecit de virtute in virtutem. Provehitur ætate in novam Hispaniam solvit, ubi magna pollens industria, justis laboribus substantiam, atque generosæ indolis actibus, summam venerationem adeptus, per heroicæ virtutis specimina. Amore, & fide, pietateque in Deum maxima, conscientia optima præditus, castitatem, virginitatemque adeo coluit, inter alias egregias dotes, ut jam tertio per Mulieres sibi a Diabolo paratas, ingentes insidias, in ipso juventutis flore eluserit. Quin imo de ipso Diabolo in scæminea specie apparente, gratia Dei viriliter triumphavit, Oblatas aliquando egregias nuptias modeste rejecit. Postmodum pene sexagenarius, prudenter perpendens, non esse bonum hominem esse solum (b), sociam sibi quarere cogitavit; talem quidem uti discitabat, cum qua, si possibile afforet, vivere liceret in casto, & virginali connubio, ad instar S. Patriarchæ Joseph cum Sanctissima Sponsa Virgine Deipara, ita ut jugum Matrimonii, absque carnistribulatione, serena pace sustinere valeret.

Annuit Deus ejus votis: nam honoratior quidam homo, hoc Pyraustæ propositum assecutus, enixe rogavit, ut filiam suam sibi despondere dignaretur, ætatis tenellæ, dote pauperem, sed virtutum decore divitem, qualem ipse cupiebat; addens hoc Deo gratissimum futurum. Ei enim offerebat in conjugem, tantum ut sua protectione fulciret, & a periculis mundi, atque pudoris jactura ob pauperiem eriperet. Pyrausta divinæ voluntati addictissimus, & pietatis operibus, Dei nutu negotium peragi advertens; in Sponsam accepit Puellam, ea lege, ut ejus subveniret indigentia, & patrocinaretur pudori; seque & rem suam familiarem cura Sponsæ muniret. Erat enim tenella Sponsa Seniori Pyraustæ, ætate, & innocentia, sicut filia; eam licite nutrebat, & abundantius in cunctis aderat; excepto congressu matrimoniali; quem nec ipsa Sponsa petebat, nec appetere unquam ostendit. Sponsæ Sponsus caste ablandiebatur, illam in thalamo collocabat; verum ipse virtutis Vir, post pias preces, extra thalamum in terra juxta ipsam cubabat, caste, sancteque cum ipsa vivendo. Invidens Diabolus tantæ virtuti, excitavit in Pyraustam Parentum Sponsæ persecutionem, qui ducti cupidine divitiarum ejus, videntes utrum filia non intumescere ad hæredes enitendo; & scientes propositum Pyraustæ, ob quod Sponsam duxerat, non percipientes hoc fieri Dei, & virtutis amore; ipsum aggressi injuriis, quasi Sponsam, & jura conjugii sperneret, minantur ad judices provocaturos, pro dirimendo conjugio, quatenus esset ad illud ineptus. Omnia æquanimiter toleravit Pyrausta, annis quidem provehitur, sed viribus robustissimus, eisque respondit modeste, eorum filiam in Sponsam sibi junxisse, ad ipsam protegendam; si accidisset, se præ illa diem ultimum claudere, eam ex asse instituturum hæredem, ut posset vitam degere ab omni necessitate liberam: cæterum se omni culpa carere, quia Sponsam non male habebat, nec ab ea abhorrebat, ut ipsamet fateretur. Verum nec acquiescentibus illis, Deus amovit occasionem jurgiorum, ad æternam vitam vocata Sponsa, vix elapso anno conjugii.

Post-

(a) Job cap. 1. (b) Gen. cap. 2.



Postmodum in Matrimonium secundum Pyrausta, eodem proposito virginittatis, & castitatis, eisdem protestationibus: & in Sponsam assumpsit pauperulam pariter, sed virtutibus exultam Puellam; quam ipsemet ob ejus pauperiem educaverat, & in sacro Puellarum Gynæceo, servandam tradiderat, & aluerat usque ad ætatem nuptiarum, quam offerentibus Parentibus desponsavit; cum qua eundem vitam tenorem servavit; ut patuit ex testamento, quod gravi pressus infirmitate confectus; in eo ex conscientia declarans, Sponsam in sua virginitate relinquere, eo quod ipsam duxit in sociam, ad rei suæ familiaris custodiam, sui que curam, cum male degeret solus; & ejus protectionem gereret, & suis facultatibus ipsi inserviret. At postquam ab infirmitate convalescit, cum novissens Parentes Sponsam, vel ex testamento, vel ex suspitione, non tamen ex Sponsa, Pyraustam rem non habere cum illa, insurrexerunt contra illum, ea cupidine hereditatis, ut fecerant priores, & per semetipsos, ac per Confessarium Pyraustæ comminanti sunt periculum conscientie, eo quia non incumberet beneficio prois, cum sua Sponsa Matrimonium exercendo, juxta Sacramenti, & Ecclesie intentum; quæ omnia Pyrausta tranquilla, & immutabili mente audiebat absque serupulo, sciens certo certius, suam Sponsam tales non habere impollus, & semet in conscientia securum. Et quidem secunda hæc Sponsa Pyraustam vocabat suam Patrem etiam ante nuptias & jure pro Patre habebat, quia ipsam amore Dei educaverat, & aluerat. Ipseque Pyrausta sicut filiam agnoscebat, ita ut non semel equitando, ante se in ulnis portare ad quandam Matronam, quæ eam ministeria feminea edoceret; & adeo innocenter se habebat, ut sæpius puerilibus visa sit ludis sese oblectari. Et hanc quoque sustulit Deus, post menses octo, ad sedandas turbas excitatas a Satana: & quia ad altiora virtutis, & perfectionis culmina, vellet Pyraustam sustollere, uti de factis fecit: cum Pyrausta tandem sæculo vale dixerit, ac distributis facultatibus pro Christo, & pauperibus, Religiosam vitam professus, prope centenarius diem clausit, plenus meritis, & mirandis operibus. Post mortem vero Sponsarum, Pyrausta gloriabundus in Domino, dicere solebat de Sponsis suis, se quasdam columbas ad Cælum educasse lacte candidiores, Deo gratias plurimas agendo. Cum autem a quibusdam viris Religiosis interrogaretur, super contentione Parentum Sponsarum, respondit a Sponsis suis scire se, non exiisse tales querelas, neque Parentibus ullam causam dedisse talium turbaram; inde laudibus efferendo sinceritatem, & puritatem earum: Parentum potius inculcabat hereditatis capiendæ cupiditatem. Igitur

Quæritur a Sapientissimis Viris, & ornatissimis Virtutum Sæcatoribus: An Pyrausta in his male se gesserit? An potius heroicæ virtutis actus perfecit?

# CENSURA

## THEOLOGI PUBLICI

Ad examen una cum aliis deputati.



I. Esta atque perpenfa diligenter facti specie, qualis Sacro Collegio nostro scripto propofita est, difficultatis summam eo redactam video, num Pyrausta gesserit se prudenter, virtutisque excellentis actus perfecit, dum concepto prius servandæ virginitatis sanctiori proposito, firmoque consilio, annos sexaginta jam natus, vegetus tamen & bene valens, viriumque ac sensuum integer, binis per vices puellis, ætate tenellis, matrimonio junctus est; iisdemque, quoad ambæ vixerunt, familiariter pro licentia maritali, thalamo licet abstiniens, blandiendo convixit.

Neque enim de rata gemini conjugii auctoritate, seu quod ajunt, validitate queri a Consultoribus video; num forte præmissum tenendæ virginitatis propofitum obfuisse: cum illud potius, ex SS. Patrum, Sacrorumque Canonum doctrina, pro certo ponatur, simplex servandæ virginitatis propofitum substantiæ Matrimonii nihil officere. D. Augustinus lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia cap. 11. D. Thomas in 4. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1., Alexander III. cap. Commissum, extra de Sponsalibus, & Matrimonio; aliique quos longo ordine recenfere supervacaneum fuerit.

Ad id ergo, de quo unice Sacri Collegii nostri sententia queritur, pro commisso mihi munere, statim accedens, Pyraustam imprudenter omnino fecisse pronuncio, atque adeo tantum abesse, ut heroicæ Virtutis actus puellas illas ducendo, ductisque convivendo, perfecit, ut potius in multis reprehensione sit dignus.

II. Hujus mihi sententiæ primaria ratio hæc est. Quia imprudenter ille agit, ac temere, qui constituto sibi sine pio præsertim, & arduo, media seligit, sin minus fini contraria, at certe ab illo verisimili abducentia; quæque illius consecrationem difficiliorem faciunt, novisque, ne obtineatur, difficultatibus implicant. Imprudentius multo agit, qui pericula illa studiose querit, & ambit, iisque sese volens, ac lubens objicit, nulla aliunde necessitate pressus, ac ductus. Illud scilicet est amare periculum, labendique occasiones data opera, ac de industria confectari: quod inconsiderata temeritatis est, & imprudentiæ, Sacrique vetatur Literis, Ecclesiast. 3. qui amat periculum peribit in eo. Talis profecto (iudicio quidem meo) Pyrausta fuit, qui firmum servandæ virginitatis propofitum tenens, eum tamen vitam statum, volens ac lubens, nullaque necessitate pressus, ingressus est; in quo dimittendi pii propofiti proximo periculo quotidie versabatur. Quid enim, si in eo cum tenellis conjugibus familiari, intimoque convivio; in iis, quibus illis dicitur fuppallari, blanditiis frequentissimis, carnales effectus enati illi essent (Quid si puellæ illæ novis, procedente ætate, ignibus accensa, car-

nisque tribulationem, ut loquitur Apostolus, passæ, debitum petiissent? Tunc sane aut a virginitatis propofito recedendum illi fuisset, aut contra jura conjugii peccandum.

Neque valet si forte dixeris, Pyraustam eo casu a definito virginitatis propofito recessurum fuisse absque peccato, cum nullum virginitatis votum emisisset: eundemque a meliori duntaxat bono, eoque plane libero abcessurum; atque adeo nihil mali, si debitum tunc aut peteret, aut redderet, admiffurum. Nihil, inquam, ad excusationem id valet: quia tamen contra voti religionem, quod nullum erat, eo casu peccaturus non esset, erat tamen ex inconstancia, contra prudentiam peccaturus: quia bonum relicurum erat, quod sibi antea propofuerat, quod elegerat, sibi que ut finem constituerat. Inconstancia siquidem illa, recessusque a bono propofito definito, ad imprudentiam pervenit, Judice Doctore Angelico 2. 2. quæst. 53. art. 5. cujus ea ratio est: quia recessus a bono propofito non consummatur, nisi per defectum rationis, quæ fallitur in hoc, quod repudiat id, quod antea recte acceptaverat. Unde & hujusmodi mutatio propofiti stultitia tribuitur Eccl. 27. Stultus sicut Luna mutatur.

III. Iis robur addit communis de Maria Josepho nubente sententia. Deiparam Virginem prudenter omnino, & citra periculum amittendæ Virginitatis, Josepho nuplisse docent Patres, & cum iis Theologi ferme omnes; quod illa divina revelatione certo novisset, Josephum nunquam ab ipsa debitum petiturum; tum quod pari teneretur & ipse propofito castitatis; tum quod illius votum quanto citius concepturus esset; ac tum maxime, quod Deus mentem ejus a petendo debito procul efferet averfurus. De quo D. Thomas in 3. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. Beata Virgo antequam contraheret cum Josepho, fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili propofito erat servandæ Virginitatis: & ideo non se commisit periculo nubens. Imprudenter itaque tenellas illas Puellas uxores duxisse Pyraustam oportet, seque in proximum amittendæ Virginitatis periculum conjecisse: quippe qui nullam hujusmodi, de puellis illis certitudinem haberet, quod & pari Virginitatis propofito teneretur, & in eo immoræ futuræ essent, & nunquam essent conjugale debitum petituræ.

Nonnullos audivi qui dicerent idcirco Deiparam Virginem Josepho nubentem certiore fieri debuiffe, de constanti Josephi castitate, ne sese ipsa castitatis amittendæ periculo, nubendo committeret; quia nullum illi prælucebat exemplum contracti, post castitatis votum aut propofitum, matrimonii: cum contra Pyrausta exemplum hujusmodi, Mariæ scilicet, atque Josephi Matrimonium, jam tunc præ oculis haberet; in quod intendens ipse, securus ac tutus aleam jaceret. Quasi vero Pyraustam de constanti puellarum illarum castitate securum fecerit, eximium illud Virginis Josepho nubentis exemplum? Aut forte a pari, ut



ut ajunt, ratione, ita secum argumentari poterit: nullum castitatis suæ periculum adire Maria, & Josephus, mutuo contrahendo; itaque nec ego periculum ullum adibo, si binas illas puellas conjuges duxero? Id sibi si finxit animo Pyrausta, sequæ suasque conjuges cum Sponsis illis Sacratissimis contulit, audacissimus, & imprudentissimus fuit. Quia ergo Virgo Deipara ideo prudenter omnino, & citra calitatis amittendæ periculum, nupsit, Theologorum quidem judicio, propterea quod constantem Josephi castitatem divina revelatione cognoverit; (quidquid de prælucente aut non prælucente hujusmodi conjugii exemplo, fingere lubebat) consequens profecto est, Pyraustam, qui nullam de constanti suarum conjugum castitate certitudinem habere poterat, quantumvis eximium illud Deiparæ Josepho nubentis exemplum illi præ oculis esset, imprudenter omnino Matrimonium iniisse, sequæ in patentissimum amittendæ castitatis periculum concessisse.

IV. Ad data jam sententiæ nostræ momenta, accedit & istud minime contemnendum: quod Ecclesiæ vehementer optet, ut qui, post contractum legitimum Matrimonium, de consensu pariter, virginitatem voverunt, separentur ab invicem, nisi gravis obstat ratio, summaque necessitas; (toto titulo de *conversione conjugatorum*) idque ob periculum violandæ virginitatis, in illo familiari, & conjugali convivio. Cujus infausta leguntur etiam in summis viris exempla: ac illud maxime Genebaldi Laudonensis Episcopi, quem cum uxore, qua consentiente vitam Monasticam amplexus fuerat, ac deinde creatus Episcopus, frequentius visitaret, duos ex ea filios suscepit, ob idque a S. Remigio publicæ poenitentiae addictus est. Quanto ergo magis optare Ecclesiæ censenda est, ut qui pio illo servandæ virginitatis proposito tenentur cælibes, a ducendis postmodum uxoris, & a conjugali societate, intimoque convivio prorsus abstant. ne & ipsi a pio, religiosoque proposito excidendi periculum adeant: cum facilius longe sit cælibes firmam illud propositum antea tenentes, uxores non ducere, quam qui duxerint, a convivio postea abstinere. Nisi illos aliunde ducendum, ductisque convivendum auxoriis, gravis aliqua ratio, summaque necessitas urgeat; qualis profecto nulla in Pyrausta inventa est.

Ea quidem necessitate pressi, ac boni etiam publici ratione ducti, nonnulli Principes viri, ac femine, concepto prius virginitatis proposito, Matrimonium iniere; aut etiam, post nuncupatum in Matrimonio virginitatis votum, suis perinde conjugibus convixerunt; quin aut imprudenter egisse, aut Deum idcirco tentasse censentur: quia illos in eum vitæ statum, atque ita in illud amittendæ, quam voverant, aut decreverant virginitatis, periculum, concessit necessitas; non studiose voluntas: eaque de causa Deum sibi ipsi eo in periculo constitutis adfuturam, pie, ac religiose sperare poterunt. Non ita profecto Pyrausta, sed Deum aperte tentavit, dum servandæ ad obitum usque virginitatis suscepto consilio, fixoque proposito, ejusdem violandæ periculum adiit volens, ac lubens, nulla uxores ducendi, iidemque intime convivendi, seu publica, seu privata necessitate compulsus. Atque ita nonnisi ex præsumptione adfuturam sibi ad castitatis custodiam, Dei gratiam adpromittere potuit; quæ invite quidem, innocenterque periclitantibus ad-

se solet, non itidem periculum temere advenitibus, & amantibus: facientibus quod in ipsis est, ex Dei misericordia conceditur; aut officium deserentibus, sibi que præsentibus, ex Dei justitia denegatur.

Quæ etenim contrahendi Matrimonii rationes, Pyrausta fuisse dicuntur; curanda scilicet per Uxores res familiaris, illarum sublevanda inopia, tuendus a sæculi periculis illarum pudor; adeo futiles sunt, ut nihil magis; nullamque veram ducendarum per vices uxorum necessitatem, viro castitatis studiosissimo induxerunt; cum alia meliori via, quam inito Matrimonio procurare bona illa omnia de facili potuisset. Ut enim prædixit erat Pyrausta, industrius, fidosque rerum suarum curatores, aut etiam si mallet provecæ ætate mulieres curatrices adficere sibi potuit; quæ eo longe melius officio defunctæ fuissent; quam tenella illæ, & inexpertæ puellæ, curanda illæ potius, juvandaque; quam curatura & adjuturæ. Iisdem vero puellis pauperulis, ut fertur, ac de honore periclitantibus, dotem constituere potuit congruentem; ut vel viris bene moratis in Matrimonio collocarentur, vel Christo cælesti Sponsio in Monasterio consecrarentur. Quæ autem producit ratio altera, quæ ad ducendas uxores Pyraustam impulit; quod videlicet *perpendisset ille, bonum non esse hominem esse solum.* Genes. 2. non futillis modo est, verum etiam erronea ad calibatus, & Monachatus injuriam, a Calvinianis excogitata. Quasi vero de quibusvis hominibus dictum id esset a Deo, ac non potius de homine primo, in ipso mundi hujus exordio; ac de sexu virili, quem non expedit esse solum, ad commune generationis officium? Aut melius omnino non sit, calibem vitam ducere, ad virginitatis custodiam, quam uxoris jungi, illisque convivere? Cum præsertim Apostolus dicat *primæ ad Corinth. 7. Nuptiis & Viduis bonum est, si sic permancant sicut & ego.*

V. Accedunt & alia in Pyrausta imprudentis animi argumenta. Cum enim ex Apostoli doctrina, *primæ ad Corinth. cap. 7. vers. 5. neutri Conjugum liceat caste vivere, nisi ex alterius consensu: quod itidem Augustinus discretissime docet Epistolæ nunc 220. alias 70. ad Bonifacium Comitem: Sine Uxoris consensione continenter vivere viro non licet: prudentia maxime postulabat, ut qui caste vivere in Matrimonio proposuerat, de conjugum quas ducerebat consensu, antequam contraheret, aliquomodo certus fieret; pari ab iis castitatis proposito petito, atque obtento: quandoquidem consensum, postquam contraxisset, se ab illis obtenturam adpromittere sibi certo non poterat. Aliunde enim ex communi Theologorum; & Jurisperitorum Sententia, castitatis custodiam, in ipso contractu Matrimoniali, in pactum expresse deduci non potest: (a) uti profecto nec Pyrausta deduxit, ea saltem in parte laudandus. Postulabat etiam Prudentia, ut qui caste in Matrimonio vivere constituerat, quod sine Uxorum consensu præstare nequibat, tales saltem in Matrimonium Uxores duceret, a quibus consensum illum obtinere multo certius posset: provecæ scilicet ætatis feminas, quæ castitatem probassent ad multos annos; (quales olim in Diaconissas assumi jubebant Canones) a quibus minus illi de petitione debiti timendum fuisset; quam a puellis illis adolescentulis; quæ licet pro tenera ætate simplices essent, ac verecundæ, dum ab ipso sunt ductæ; timeandum tamen erat, ne cum carne in*

iis

(a) D. Thomas in 3. Sent. dist. 28. quest. 1. art. 4. ad 3. Gregorius IX. cap. si conditiones, extra de conditionibus appositis in dispensatione, alique supra viginti. Landati a Sanchez lib. 5. de Matrim. disp. 10. §. 2. & Laymano lib. 5. tit. 10. par. 2. cap. 7. Cord. 2. qui & iis hac in parte suffragantur.

iis crescerent desideria carnis: quæ contra in ventulis cum carne decreverunt.

Quid, quod ex ipsa nobis exhibita facti specie, non liquet, Pyraustam consensum illum suarum Conjugum, sine quo non licuit illi caste vivere, post contractas saltem nuptias obtinuisse? Quod enim ajunt aliqui, ut consensum tunc tandem obtentum ostendant, Conjuges scilicet ejus debitum minime petiisse; id inquam consensum liberum nequaquam evincit: quia quod in tam brevi temporis spatio debitum non petierint, ex puerili quadam erubescencia, reique veneræ ignorantie contigisse verisimilius est, aut etiam ex timore reverentiæ in eum virum, quem non tam uti maritum, quam uti patrem & dominum, suarumque fortunarum auctorem habebant; qui concepti dudum propositi tenacissimus, nunquam debitum postulare desinverat, sed petendi onus totum devolverat in Uxores, ac etiam ne peterent, sibi que hac in re morem gererent, hortabatur. Quod si fecit Pyrausta bonus, uti fecisse verisimillimum est, (quando quidem non probatur oppositum) non modo peccavit contra prudentiam, verum etiam contra justitiam: quia tunc contractum matrimonialem reddidit tenellis Conjugibus onerosum, juxta Doctore Angelico in 4. Sent. dist. 32. art. 4. ad 3., cum oporteret eas semper consensum petendi debiti subire. Imo vel ex hoc solo deliquit, si Conjuges suas a petendo debito nimis instanter averit, eodem jure D. Thomas ibidem art. 2. qu. 1. ad 2. Non debet Vir uxorem avertere ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam: & tunc non debet cum magna instantia averti, propter pericula imminentia.

V. Postremum, illud minime silentium in Pyrausta imprudentis animi specimen est: quod non satis honestum, ac decus ad speciem tenuerit, ne ex gemino illo conjugio ceteri offenderentur. Quid enim in hominum astimatione tam indecorum, & indecens, quam virum annos sexaginta jam natum, tenellæ puellæ annos vix puertatis ingressæ, Matrimonio jungi; ubi gravis ratio nulla deprehenditur, quæ hujusmodi nuptias cohonestet? Quid tam inhonestum in hominum oculis, quam virum sexagenario majorem, ex priori uxore viduum, ad secundas nuptias, & quidem cum puella altera tenella, & adolescentula transvolare? (proh quam tenellam servavit legem, oporet, quam Pyrausta bonus, non equi sui tergo exciperet, sed ante se in unis equitandum gestaret!) Id scilicet risu & cachinnis excipi solet, tanquam intemperantis libidinis argumentum: quique hujusmodi nuptias prestant, deliri senes, infans puellarum amoribus irretiti vulgo dicuntur. Quod omnes de Pyrausta eo facilius suspicari poterant, quod is mentem, animumque, quo eas adolescentulas senex duxerat, teneret occultum. Absit autem ut facinus offensionem non modicam habens, & ad honestatem minus bene compositum, heroica Virtutis actum dicere audeam, fidelibus ad publicam imitationem proponendum.

VI. At nonne, inquit aliqui, Josephum Patriarcham Sanctissimum imitari laudabile est: qui non modo virginitatem in Matrimonio coluit, sed & Adolescentulam volens ac lubens in Matrimonio duxit, concepto prius colendæ virginitatis voto, aut certe suscepto consilio, fixoque proposito? Oh! qui quæso vos estis, qui omnia vel Divorum, vel Deiparæ, vel ipsius etiam Christi gesta, imo & omnia, singulaque gestorum adjuncta, a fidelibus exprimi laudabiliter posse exultatis; nec satis animadvertitis, sintne semper fideles eo in statu positi, iisque in circ-

Serry Tom. VI.

cumstantiis constituti, quibus id prudenter, & laudabiliter facere queant, quod ii pro rerum suarum statu prudentissime peregerunt? Sint, si superis placet, fideles aliqui, eodem ac Josephus ipse statu positi; sint paribus de Cælo revelationibus illustrati, quibus de sua, Sponсарumque ducendarum inviolabili virginitate sint certi; tunc sane imitatio Josephi cum laude illis esse poterit: sin minus certi fuerint, imprudentissime facient quod fecit ille prudentissime.

Imo si liceat mihi pro Theologica libertate pronunciare quod sentio: est illa pietatis heteroclitis, & anomalia, velle Josephi Matrimonium imitari, eoque sine atque consilio conjugem ducere, & quidem tenellam, atque juvenulam, ne quid ad integram desit imitationem. Matrimonium quippe Josephi, ut simpliciter Matrimonium fuit, corporumque conjunctio, excellentis, heroicæque virtutis actus per sese non fuit, cujus imitatio summa in laude possit esse: quamquam infinita aliunde decora secum tulerit, quæ nostram mereantur admirationem, & cultum. Quare sanctioris propositi scopus in Pyrausta esse non debuit Josephi Matrimonii imitatio, ut vel sic castitatem ejus etiam conjugalem imitaretur: sed Josephum castissimum laudabilius, prudentiisque imitatus esset liber, & cælebs, quam Uxoribus junctus.

Servanda in D. Josephi imitatione ea prudentiæ lex, quam in ipsis Christi Domini imitatione eruditissimi Theologi ponunt; atque in iis maxime Franciscus Suarez lib. 9. de lege Divina positiva veteri cap. 14. Non est, inquit ille, prudentiæ opus, velle imitari Christum materialiter, ut sic dicam, in omnibus suis actibus: alioquin celebrando Pascha, manducavimus agnum Paschalem, quia ipse hoc fecit, & alia similia, quæ in nobis absurda plane essent. Sed imitandus est Christus formaliter, ut sic dicam, id est in obedientia proportionali: ut sicut ille servavit legem, quæ ad tempus illud pertinebat, ita nos legem nobis datam servemus. Quocirca vatum etiam superstitionem esse docet, velle Christum Dominum imitari, affectum aliquo vulnere, seu cicatrice, tum circumcisionis, tum affixionis manuum, ac pedum; ut in illo dolore, & passione quis Christo Domino conformetur, quia, inquit, conformitas illa in sola materiali, & corporali lesione, aut afflictione, nullius virtutis honestatem habet, neque in aliquem honorem Christi cedit; & ita est cultus superstitiosus, & vanus. Pari itaque titulo, non erat D. Josephus viro calibi, liberoque, qualis Pyrausta tunc erat, in omnibus actibus suis; ac in ipso quoque cum Deipara Virgine matrimonio: quia nuda illa matrimonii virginitate, nullius virtutis honestatem habet, neque in aliquem Josephi honorem cedit; fed erat illi Josephus formaliter imitandus, hoc est, in Virginali pudicitia, & quidem proportionali: ut sicut ille mentis, corporisque puritatem illibatam servavit in matrimonio, ita & iste, quantum Deus daret, servaret in calibatu. Quotquot aliam in Christi, Divorumque gestis imitandis, sequuntur normam, inconsulta, bona pace dicam, devotio-ne, & anomala pietate ducuntur.

Addam obiter, non omnino ex Patrum sententia constare, quod alias vulgo creditur: Josephum promisso Virginitatis voto, aut etiam proposito, ad nuptias accessisse. Negat id apertissime D. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 12. ubi Josephum implendi Incarnationis Mysterii adhuc nescium, Mariam in spem procreande prolis duxisse conjugem docet, nec nisi tertio post mense, Virginitatis voto sese obstrinxisse, dum

S



divinam Uxoris fecunditatem, monente Angelo intellexit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Luc. 2.*

VIII. Videndum modo, quas afferant Pyrausta Patroni imprudentiae, & heteroclitis excusationes. Ajunt itaque primo, non imprudenter illum, ac temere, amittendae Virginitatis periculum adiiisse; imo nullum re ipsa fuisse periculum: propterea quod & de sua, & de puellarum quas ducebat, constanti castitate moraliter certus esset: de sua quidem; quia varias hujusmodi tentationes juvenis superaverat; de puellarum vero, quia eas ingenuas, verecundas, simplices, & minime malas, antea noverat, & probaverat. At nae quae Pyraustam insipientem, ac praesidentem, si se tam futilibus indicibus moraliter certum existimavit: primo, quia in re venerat, ex una alterave tentatione feliciter superata, nemo de futuris pari felicitate superandis, sit certus: cum tam multos quotidie videamus, qui primam, alteramve feliciter superent, tertia, quartave vincantur. Secundo, quia quas junior superaverat tentationes, perarata fuerant, & casu fortuito dentaxat obiectae: in Matrimonio vero continua illi tentatio futura erat. Quis autem de continua tentatione superanda sibi sit certus, propterea quod transitoriam, ac veluti momentaneam superaverit? Tertio, quia priores illae, & quibus emerferat, tentationes, superari facillius poterant. Cum enim de re per se mala tentaretur, de habenda scilicet copula prorsus illicita; poterat plane vel ex ipsa facti turpitudine, vel ex studio tuendae famae, vel etiam curandae valetudinis animo, ad resistendum excitari. In Matrimonio autem, eo illi erat acrior, obstinatior, subtiliorque tentatio subeunda, quod nec jam de re turpi, nec per se mala, nec famae noxia, nec saluti periculosa; sed de suo veluti jure capessendo, tentandus esset; soloque ad resistendum, decretae virginitatis amore excitari possit. Quis vero de graviore tentatione superanda sibi sit vel moraliter certus, quod leviores superaverit? Quarto: quia tametsi puellas illas ingenuas, simplices, pudicas probasset antea; tales tamen futuras imposterum, sperare sibi certo non poterat; crescente cum annis malitia, audisque cum carne desideris carnis, ac tum maxime Matrimonio licitum illis faciente, quod antea erat illicitum.

IX. Addit iidem illi Pyrausta Patroni, necesse omnino non esse, hominem etiam solemniter votoem, securum esse, numquam se votum violaturum, ut prudenter vivere censeatur: cum eam securitatem, ob continua vitae pericula, habere homo non possit. Quarto minus ergo, subjungunt ii, necesse id non fuit, ut Pyrausta virginitatis propositum conciperet prudentissime? Ita sane, non est id necessarium: at non id quaeritur in praesenti, an prudenter Pyrausta propositum castitatis initio conceperit: sed an eo jam concepto, Matrimonium prudenter injecit? Porro tametsi necesse omnino non sit, hominem virginitatem prudenter votoem, aut etiam proponentem duntaxat, ac decernentem, de futura voti, aut propositi observantia, certum sibi esse, atque securum: id tamen prudentia postulat, ne in novum, graviusque amittendae virginitatis periculum, sese sponte, libereque conjiciat; quo sane de voti, aut propositi observantia, minus adhuc certus fieret, minusque securus: neve eum vitae statum lubens, & volens ingrediatur, in quo devota, decretae Virginitas, in novum, graviusque, illudque continuum, ac pene inevitabile discrimen adducitur. Quid enim illud est aliud, quam constituto sibi sine aliquo, pio prorsus, ac

religioso, media fumere, a fine verisimilium abducentia? quod prudentiae leges in primis ve-tant.

X. Opponent loco tertio, atque in eo vim maximam ponunt, Pyraustam servandam Virginitatem proposuisse, non absolute, sed si possibile foret: Atque ita nihil mali acturum illum, ac etiam propositum minime violaturum, si occurrerent aliqua insuperabili difficultate, a castitate deficeret: non enim, ajunt illi, esset impleta conditio.

Verum, nec ob eam positam conditionem, Pyrausta ab imprudentia vitio excusatur. Sic enim debebat esse prudentia tale Matrimonium ini-re, in quo custodia castitatis sibi maxime possibile fieret, non in quo sibi fieret moraliter im-possibile, aut certe multo periculosior, ac diffi-cilior; si ductae uxores justa vitae spatia tenuissent. Debebat ergo matrimonia ini-re cum vetulis, quae per annos admodum multos virginitatem probas-sent, aut etiam cum provectae aetatis viduis, a quibus minus ipsi periculum fuisset, quam a puel-lis illis adolescentulis; quae licet pro tenera illa-rum aetate simplices tunc essent, ac verecundae; crescente tamen aetate futurum erat, ut in eis ma-litia cresceret, & cum carne crescerent desideria carnis, quae contra in vetulis decreverunt solent, ac paulatim extinguuntur. Debebat etiam honesti spe-ciem contrahendo tenere, nec ceteri ex illa tam dispari conjugum aetate offenderentur: quam uti-que publicam offensionem, provectae aetatis ux-ores ducendo, devitasset. Debebat, ut antea dixi-mus, (quibusvis tandem conjugibus jungi vellet) non antea Matrimonium ini-re, quam simile ca-stitatis propositum ab iidem obtinuerit: ut vel sic de illarum ad servandam castitatem assensu, fieret aliquanto securior. Cum alterutri conju-gum sine alterius assensu caste vivere impos-sibile sit; secunda Corinth. 7. vers. 5. Sed & aliunde Pyraustam, sua illa conditione nihil ob-stante, imprudentissimum habeo, sicque palam ostendo.

Certe quotquot se aliquid facturos voverunt, aut etiam simpliciter decernunt, si possibile fuerit; nisi derisorie proponant, aut voveant, ea ipsa conditione, casus duntaxat excipere intendunt, impossibilitatis, aliunde fortassis oriturae; non im-possibilitatis, quam sibi ipsis esse imprudentia, aut ex malitia procurabant. Uti plane qui voverit se professurum in religione, si possibile fuerit, exclu-dit per hujusmodi conditionem, casum impos-sibilitatis profitendi, si qua forte oriatur aliunde, E. G. ex repugnantia Monachorum, qui eam forte ad professionem recipere nolint; non casum impossibilitatis, ex ipsiusmet votoem improbitate, atque astutia oritura: ut si de industria pra-vos mores per annum probationis exhibeat, ut hac ipsa de causa ad professionem admitti non possit. Tunc enim si ob hujusmodi impossibilitatem, sibi de industria procuratam, non recipiatur ad professionem, non censetur concepto voto satisfecisse, quod non sit impleta conditio, si possibile fuerit; quia de ea impossibilitate non est intelligenda conditio, qua se voverat in religio-ne professurum. Jam sic est in casu Pyraustae. Proposuit ille quidem castitatem in Matrimonio servare, si possibile foret: at quae illi oborta est servandae castitatis moralis impossibilitas (maxime si puella illa praecipiti casu sublata non esset) ab ipso Pyrausta de industria procurata est; quippe qui puellis semel, iterumque Matrimonio jungi voluit, illis intime convivere, ac suppal-vari; potius quam alterum, de quo diximus, matrimonii genus ini-re, quod paucioribus multo periculis fuisset obnoxium. Non itaque adjecta con-

conditio, si possibile fuerit, Pyrausta impruden-tiam excusat, sed auget potius; eam cum sibi mora-lem impossibilitatem, de industria procuraverit. An non quae nugacem illum, qui facturum se aliquid promitteret, si possibile foret; ac tum al-laboraret, ut ne possibile fieret?

XI. Opponent illi praeterea, nulli se periculo commississe Pyraustam, puellas illas ducendo in Matrimonium: quia si debitum petissent, potu-isset ille, concepti propositi tenacissimus, de statu religioso deliberare, atque ita Matrimonium solvere, juxta Ecclesiae Canones, qui id conjugi-bus licitum faciunt, cap. ex publico, extra de con-vertione conjugatorum. Egregium sane inventum! At non quid Pyrausta facere jure posset, ad ca-stitatis custodiam, expendimus hic, sed quod fa-cere constituerat, examinamus. Unde autem ha-bent illi, hoc Pyrausta fuisse consilium, solven-di scilicet Matrimonii, ad primam debiti peti-tionem, emissa in Monasterio religiosa profes-sione? Unde habent, Pyraustam virum prorsus ignarum, & illiteratum, Ecclesiae novissae Cano-nes, qui eam conjugii solutionem, ante habitam copulam, licitam conjugibus faciunt? Imo illud ex opposito constat aperte, nec id intendisse Py-raustam, quod illi affingitur, nec intendere pot-uisse, nisi secum ipse pugnasset. Cum enim pro-positum illi esset, castitatem in Matrimonio ser-vare, ad Divi Josephi imitationem; qui quae-so Matrimonium solvere cogitasset, ad custodiam castitatis? sic enim non servasset eam in Mat-rimonio, sed extra Matrimonium, & longe a Di-vi Josephi exemplo, quod emulari constituerat, abscisisset.

Quid quod non desunt Theologi, Jurisque periti, qui eam solvendi Matrimonii facultatem, novis duntaxat conjugibus concessam doceant, primo bimetri, a contracto Matrimonio, non a petitione debiti computando. Si sic est, nulla Pyrausta potuisset via, servandae quam proposue-rat castitatis; si ductae puellae, post elapsam dan-taxat bimetre, debitum petissent.

Quid etiam, quod summi Theologi docent, inter quos Franciscus Suarez tract. 6. de voto cap. 9. Nec honestum esse, nec rationi consentaneum contrahere Matrimonium, seu fidem Matrimonii da-re, animo non consummandi, sed transivendi ad meliorem statum Religionis: maxime si id fiat ab uno contrahentium, ignorante altero, & bona fide contrahente: tum quia sic videtur fieri aliqua ini-juria conjugii; etque in hoc aliquis deceptionis mo-dus: tum quia sic constituitur bono in gravi peri-culo, mutandi hujusmodi intentionem, & permanendi in eo statu matrimoniali, quem ingressus est. Qui ergo Pyrausta eam mentem affingunt, dum Puellis Matrimonii nomen dedit, ut eum pruden-tem, & bene cautum ostendant, inhonestum, Suarez Joanne, faciunt, ac minus equum; qui puellis mulierum, & injuriam irrogavit. Neque il-li ulla ratione suffragatur viri hujus exemplum, qui, ut est in cap. commissam extra de sponsali-bus, & Matrimonio, Matrimonium, suadeate Alexandro III. contraxit, ad fugam melioris vi-tae tranivisse scilicet; atque ita destinata jam vo-luntate, Religionis subinde profitenda. Is enim Matrimonii nomen sacro prorsus animo dederat, ac etiam juramento firmaverat, nihil tunc de statu religioso ampicteudo omnino cogitans; eamque subinde duntaxat Religionem ingrediendi mentem conceperat, post jurata, fide bona, sin-ceroque animo, sponsalia: unde ad servandam juramenti Religionem, Matrimonium contrahere justus est. Pyrausta e contrario, ea mente, eo-que consilio Matrimonii fidem dedidit, jam dicitur; ut si debitum peteretur, de profitenda reli-

Serry Tom. VI.

gione deliberaret: quare conjugibus, quibuscum nullo pacto convenerat, illuisse vincitur.

Sed et si ea arte, atque consilio, quod illi li-benter affingunt, iis periculis occurrisset, quae illi poterant obvenire, ex parte uxoris debitum petiturae: non tamen iis periculis occurrisset, quae illi ipsi, ex propria carnis infirmitate, poterant oboriri. Quid enim si ipsemet, in eo fa-miliari convivio cum tenellis conjugibus, carnis desideria conceperet? tunc sane non de solven-do, sed de consummando Matrimonio cogitasset, atque ita a proposito recessisset.

Effugium subinde quaerunt, ut rationem ex D. Thoma petam elidant, qui Virginem ideo nulli se periculo commississe nubendo, docet, quia antequam contraheret cum Josepho, fuit certifica-ta divinitus, quod Joseph in simili proposito erat. & quod actus conjugalis, nunquam sequi debet: ajuntque, Virginem ea quidem eguisse certitudi-ne, quia votum emiserat, ea tamen non eguisse Pyraustam, quia propositum tantum conceperat. Verum non satis observant, D. Thomam, tum ibi, tum alibi saepe, in ea Magistri sententia-rum, Gratiani, aliorumque Theologorum esse sententiam, Virginem tunc quoque dum nupsit, non nisi Virginitatis propositum habuisse, votum que duntaxat postea conceperit; & tamen hujus-modi certitudinem, in ea, ut sine periculo con-traheret, posuisse. Sed age, votum jam tunc emisisse ponamus: non ideo tamen argumentum a me ex D. Thoma petam eliditur: quia si ea certitudo desideratur a D. Thoma ut castita-tis amittendae periculum devitetur, Pyrausta quan-tumvis solo proposito obligatus, in eo certe pe-riculo versabatur; cum nullam hujusmodi, de suis conjugibus certitudinem haberet.

XII. Agunt ultimo tandem Pyraustae Patroni, nonnullis exemplis, ut illum ab imprudentiae vi-tio utcumque excusent. Heroicae virtutis homi-nes, inquiunt illi, majora interdum adire pericu-la, quam quae Pyrausta puellas illas ducendo subierit; quin idcirco imprudentia arguantur. Martyres interdum Tyrannos ad sciendum pro-vocharunt; in supplicia, ignisque ruerunt; beatias quibus obiecti fuerant, vi adegerunt, atque in sei-ptos concitarunt; carnifices animarunt; aliaque id genus sunt aggressi, quae a prudentiae regulis abscedere videbantur. Egregie profecto, & appo-site, ad praesens, quod hic expendimus, Pyrausta conjugium! Quasi vero idem fortasse sit, pericu-lum adire vitam pro Christo Domino profunden-dae, quod utique fecere Martyres, ac castitatis post conceptum propositum violandae, quod Py-rausta fecit imprudens? Sed age, sit ita: quam dispar est aliunde Pyraustae, & Martyrum ratio! Adibant illi vitae pericula prudentissime, quia id tutandae fidei honos postulabat; ne pusillo, abje-ctoque animo ferre pro Christo supplicia videren-tur: Pyrausta periculum adit imprudenter, qui nulla, ut id ageret, necessitate ducebatur, suo-que duntaxat genio serviebat. Si quid etiam con-tra communes prudentiae leges tentarunt Marty-res, id peculiari Spiritus Sancti astituta, factum credere, non modo possumus, sed debemus: quia viri sancti, divinoque spiritu acti, nobis ab Ec-clesia proponuntur: Pyrausta e contrario, si quid a communibus prudentiae legibus abhorrens ag-gressus est, non perinde peculiari Spiritus Sancti impulsu factum credere tenemur, nisi certum ali-unde documentis demonstretur: quia necdum pu-blicum habet, & irrefragabile sanctitatis Testimo-nium; necdum illum Divis describitur Ecclesia, & divino spiritu ductum pronuntiavit: sed an sit Altaribus admovendus inquiratur.

Diya Theresia, cujus etiam exemplum nobis



obtruditur, quod votum conceperit longe magis arduum, ( de eo semper faciendo, quod e majori Dei gloria foret ) nec tamen ob id arguitur imprudentia; perperam ad Pyraustæ excusationem in scenam inducitur. Cum nec ego Pyraustam incussem, quod propositum conceperit arduum, ac difficile, sed quod eo concepto, ea selegerit media, quæ eundem ab implendo proposito, verisimiliter abducerent, novisque periculis implicarent: quod profecto Diva Theresia non fecit.

Cætera, quæ ad Pyraustæ excusationem, jactantur exempla servatæ in Matrimonio castitatis, nihil ad præsens institutum omnino valent. Non enim Pyraustam minus prudentem fuisse dico, quod castitatem in Matrimonio servavit, aut etiam servare, antequam contraheret, proposuerit: sed quod eo concepto castitatis proposito, nulla necessitate pressus, ac ductus, volens, ac libens Matrimonium inierit; atque ita in præsentissimum deserendi propositi periculum, se sponte coniecit. Divus Henricus vero, & Divus Eduardus, alique, qui castitatem in Matrimonio coluerunt, eandem antequam contraherent, minime voverant, aut statuerant; sed contracto jam Matrimonio, novo veluti pacto cum conjugibus inito, castitatem coluerunt: quod nemo negaverit esse licitum, atque laudabile. Diva Pulcheria Imperatrix, quæ castitatem diu antequam nuberet proposuerat, aut etiam voverat, Matrimonium non nisi necessitate pressa contraxit, ex commodi publici ratione; quod ita necessitas temporis exigeret, ut conjugii titulo Marcianum, pro summo Ecclesie bono, euberet ad Imperium: uti Baronius observat in *Annalibus*, ad annum 450. Diva quoque Cæcilia, quæ post devotam Deo Virginitatem nupti Valeriano, invita proffus, & contra suam voluntatem in Matrimonium non tam data, quam tracta est: eratque ( quod potissimum est hac in parte, ) de inviolabili sua Virginitate secura; cum in Angeli tutela esset, quæ Virginitatem ejus custodiret. Diva Dalphina, quæ Elzeario Comiti, post conceptum Virginitatis propositum, nupsit, ad Matrimonium accessit invitata, atque ex obedientia, quam parentibus, & Carolo II. Jerosolymorum, & Sicilia Regi deberet, adducta: ut vitæ illius Auctor scribit, apud Surium, ad diem Septembris 27. cap. 5. Quodque notandum est magis, servandæ Virginitatis propositum, non nisi post contracta sponsalia conceperat; atque ita ex tenendæ fidei necessitate, Matrimonium inire compulsus est. Quod idem de eo dicendum venit, de quo sermo est in cap. commissum, extra de Sponsalibus, & Matrimonio, cui Alexander III. tutius esse respondit, contrahere Matrimonium, post susceptum melioris vitæ consilium. Is enim consilium illud vitæ melioris, seu castitatis custodiendæ, conceperat, post contracta, ac etiam post jurata sponsalia: unde ad servandam juramenti fidem, congruum, ne dicam necessarium illi fuit contrahere Matrimonium. Pyrausta ex adverso, suum illud propositum, diu ante contracta sponsalia, conceperat: atque ita nulla necessitate pressus, ac ductus, adeoque & imprudenter bina inicit matrimonia.

XIII. Iis omnibus præclufus effugiis, eversisque momentis, quibus Pyraustæ imprudentiam excusare nonnulli adnituntur; unus tandem superest, qui ab iis possit obtendi, atque ut inaudito, re ipsa ab iis obtenditur, peculiaris afflatus Spiritus Sancti; quo morus, ductusque Pyrausta ea matrimonia contraxerit; ut vel sic, a violatis prudentiæ legibus excusetur. Spiritus, inquit illi, ubi vult spirat, hominemque quandoque, præter

communes prudentiæ leges ducit, ac dirigit, ex prudentiæ scilicet supernaturalis, atque infusa dictamine; quo certe modo Sanctos nonnullos a Spiritu Sancto afflatos, directos, ac ductos Historiæ produunt. Belle scilicet ad excusationem excogitatum! verum cum Pyrausta certum, & authenticum sanctitatis testimonium nondum habeat; profecto nisi certis aliunde documentis evicerint, afflatus illum peculiarem Spiritus Sancti illi adfuisse; eundemque prudentia supernaturali, atque infusa ( quod paucorum admodum privilegium est ) donatum fuisse demonstraverint; perperam omnino jactatur, ac fingitur. Cum id potius quaratur a nobis, an in facto adeo inusitato, atque insolito, a Spiritu Sancto re ipsa fit ductus, ut Divorum factis possit adscribi; & tanquam heroicæ virtutis exemplar universo Orbi imitandum proponi. Quid porro tam absolum, quam ad casus propositi solutionem, id pro certo ponere, quod maxime quaritur in præsentia? donec ergo Pyraustam Divorum factis adscripserit Ecclesia, de tora ejus agendi, vivendique ratione, ex communis prudentiæ regulis nobis est judicandum, nec peculiaris ille Spiritus Sancti afflatus temere confingendus: Sanctitas probanda nobis est ex operibus, non ex præsumptione Sanctitatis, opera approbanda, vel excusanda.

Secundum hæc leges, in Sacra Rituum Congregatione judicari solitum esse, dum de Divis in canonem referendis quaestio vertitur, testatur Eminentissimus Cardinalis Azolinus, in Voto ab ipsomet in Sacra Congregatione pronunciato, dum de Roberti Bellarmini inter Beatos referendi heroicis virtutibus ageretur. Cum enim Bellarmino inanis gloria superbaque jactantia vitium objiceretur, quod in publica concione Capuæ habita, uti & in ipsius vita ab eodem descripta, non pauca de sui laudem dixisset, atque scripserit; ejusque patroni ad excusationem responderent, potuisse Bellarminum peculiari quodam afflatus Spiritus Sancti, in sui ipsius laudes effundi; cum & Paulus Apostolus, de suis interdum laudibus magnifice dixerit, in datis præsertim ad Corinthios Epistolis; officiosam excusationem, ita rejicit Vir Eminentissimus: *Quello che troviamo di S. Paolo, o d' altri Santi, che o crediamo per fede essere Santi, confirmati in grazia, o sono già canonizzati, dobbiamo interpretarlo in bene, ancorchè paria disetto, perchè non può ingannare la Scrittura, nè la Chiesa. Ma di quelli, da quali pendo sub Judice l'Esame delle virtù, la presunzione è sempre pro natura: e tutti gli atti, che mostrano umanità, che è il loro principio naturale, sono giudicati disettosi; altrimenti tutto anderebbe al rovescio. Perchè de Santi già fatti, abbiamo da credere, che hanno operato bene, perchè si sa; ma di quelli che cerchiamo dall'opere se siano Santi, bisogna che l'opere siano tali, che non solo escludano il disetto, ma provino la perfezione; altrimenti si sconvolge tutto, ed è un pigliare la conclusione dell'argomento per provar le premesse. Ita vir summus: cujus ego acre judicium Pyraustæ Patronis pensandum relinquo, ut intelligant, non esse de Pyraustæ Matrimonio, ex Sanctitatis ejus, peculiarisve, qui illi affluerit Spiritus Sancti afflatus, præjudicium judicandum; sed hæc ipsa, ut recte judicetur, præjudicia esse omnium primo exuenda, ac deponenda.*

XIV. Nec me movet, quod facta a Pyrausta in Matrimonio castitatis periclitatio, eidem ut fertur, feliciter cesserit; illibatamque Virginitatem, ut proposuerat, cum suis illis conjugibus re ipsa servavit, debito conjugali neutra ex parte, vel petito, vel reddito. Quasi vero colligere inde liceat, prudenter contraxisse Pyraustam, ipsumque

que Spiritum Sanctum habuisse conjugiorum suorum consiliatorem? Non enim ex eventu, sed ex communibus legibus, rectoque dictamine, de consiliorum, gestorumque æquitate, atque integritate judicandum est: nec quid præter legem, & usum acciderit, sed quid verisimiliter evenire debuerit, attendendum. Cum aliquos videamus, per iniqua, pessimaque consilia, ad prosperum exitum, felici quadam audacia, casuque fortuito pervenisse; ac in ipso etiam illicito, frequentique cum puellis acubitu, continentiam tenuisse: ( ut de Roberto ab Arbrissello scribant aliqui ) quos tamen ob id unum, quod illis prospere cesserit alea; nemo vel prudentiæ laude conspicuos, vel Divino Spiritu, ut id agerent, afflatos pronuntiaverit.

Et illa, inquit Cardinalis Azolinus in laudato jam Voto, Sacrorum Rituum certa lex, ubi de virorum inter Divos referendorum heroicis virtutibus quaritur, ut quæ gesta secundum naturam evenire absolute poterunt, secundum naturam evenisse re ipsa judicentur, non miraculo, peculiarique Spiritus Sancti virtuti deputentur. *Tutto si deve presumere prima che il miracolo sia approvato, secondo li principii, e lo stile della Sacra Congregazione; massimamente, quando l'azione, alla quale via unito il fatto preteso miracoloso, ed in se stessa di disetto, o di scandalo... il fatto non si deve credere soprannaturale, se non quando la necessità delle prove concludenti costringe a farlo, ed il Giudice è obbligato a credere, che proceda più tosto da ogni altra causa naturale, ed ancor diabolica, che da miracolo. Quid porro tam secundum naturam contingere potuit, quam ut tenellæ conjugis brevi illo temporis spatio, quo Pyraustæ in Matrimonio junctæ sunt; ( prima enim intra annum, altera intra menses octo, e vivis excessere ) a petendo debito abstinerent, omnemque Pyraustæ tenendi propositi locum relinquerent? Perperam ergo prosperum illud eventum miraculo deputant aliqui; ut inde colligant, Pyraustam non imprudenter, sed afflante, atque dicente Spiritu Sancto, sua illa matrimonia contraxisse.*

Quo ex tempore typis editum est suffragium istud censorium, subintelligo typis editam, quaquaverum disseminare narrationem quandam historicam Vitæ Venerabilis hujus Servi Dei, in qua heroicis virtutibus, divinis revelationibus, miraculis, ac prodigiis longe multis illustris describitur: Eoque hujusmodi narrationem summæ auctoritatis esse velle, propterea quod Romæ apud Impressorem Reverendissimæ Camera Apostolicæ, cum solitis approbationibus typis edita sit: imo & inde colligere, Pyraustam in hocce peculiari, de quo quaritur, facto Matrimoniali, prudenter, ac etiam heroice se gessisse, quod vir talis, ac tantus aliter agere nequiverit.

Verum illud sciant Pyraustæ Patroni, ex repetitis decretis Urbani VIII. 1625. 1631. 1634. qualescumque illas historicas narrationes de virtutibus, gratiis, atque miraculis quorumcumque hominum, qui nondum solemniter ritu Divorum albo sunt adscripti, ubicumque, ac etiam Romæ cum solitis approbationibus, typis editas, nullam ab Ecclesia Romana auctoritatem habere, illarumque fidem tantum esse penes privatos illarum auctores: Quod ipsum narrationum illarum auctores protulerit initio tenentur, ex ejusdem Urbani VIII. mandato. Sciant etiam hujusmodi narrationes, non alio titulo Romæ typis edi, & ex solita formula approbari, dum de aliquo Dei Servo inter caeteras transferendo lis agitur, quam veluti litis ipsius instrumenta, & documenta,

quæ Sacra Rituum Congregationi examinanda simpliciter offeruntur, vera ne sint, aut potius falsa, & commentitia. Unde & sæpe contingit, maximam narrationum illarum partem, dum ad examen proceditur, tanquam falsam, aut certe probatione carentem, omnino rejici, & ad quietas amandari. Quare nullam narratis ibi Pyraustæ miraculis fidem tenemus adungere; quod necdum sint ab Ecclesia probata, atque recognita.

Sed & si recognita, probataque fuissent, quæ illic miracula referuntur, Pyraustam ut summe virum justum, & Sanctum evincerent, non singula illius gesta factaque, sancta & justa, atque ex prudentia profecta demonstrarent. Cum & Sancti ipsi miraculis illustres, suos quoque navos habuerint, pro quibus eluendis penitentiam agerent, Deoque non secus ac nos quotidie dicerent, *dimitte nobis debita nostra*. Alias Petri Apostoli simulationem, ob quam a D. Paulo reprehensus est, ( *ad Gal. 2.* ) piam, prudentem, ætatumque virtutis heroicæ liceret dicere, quod ille miraculorum gloria clarissimus fuerit.

XV. Quapropter ut cuncta concludam: donec Pyraustam Divorum factis adscripserit Sancta Mater Ecclesia, nosque de illo meliora sentire iusserit; totam ejus agendi rationem, urpote communibus prudentiæ legibus repugnantem, probare omnino non possum. Pyraustam temere proffus, imprudenterque fecisse censeo, Deumque tentasse; dum concepto pridem servandæ virginitatis sanctiori proposito, nulla certe necessitate ductus, proventa licet ætate, sed bene valenti, ac vegeta, virium ac sensuum integer, bis per vices puellis, itaque tenellis Matrimonio junctus est; illisque, quoad vixerunt, familiariter, ac pro licentia maritali, thalamo licet abstinens, blandiendo convixit.

XVI. Cæterum hoc meo, ad propositam de facto Pyraustæ quaestionem, dato responso, nihil, aut certe parum a Theologorum Salmanticensium, & Parisiensium judiciis distidet; si hæc paulo penitus perpendantur. Theologi quippe Salmanticenses, ut ex illorum responso liquet aperte, de valido duntaxat, rectoque secundum Canones Pyraustæ Matrimonio interrogati, de hoc quoque duntaxat affirmative respondent: quod & ego, uti rem secundum Canones competissimam sub ipsum statim initium, ultra citroque concessi. De prudentia vero Pyraustæ in Matrimonio contrahendo, deque exercitiis eorum in negotio virtutibus heroicis, quod hic unum expedit, ne verbum quidem habere, quo mentem suam, sententiamque significarent. Theologi vero Parisienses, itque pauculi, ( nec enim totius Theologica Facultatis iudicium circumferunt, sed septem duntaxat Magistrorum, in consultationem adhibitorum ) ad primam propositæ sibi quaestionis partem, *An recte valideque Pyrausta contraxerit*, affirmative respondent; modo tamen, ut ajunt, perpetuæ virginitatis propositum, in partem minime deduxerit, nullamque conjugii impofterit relaxandarum jurium matrimonii obligationem: quod idem ego semel iterumque pro certo posui. Ad alteram vero quaestionis sibi propositæ partem, *An Pyrausta heroice virtutis actus contrahendo persequerit, prudenterque se gesserit*, ita quidem affirmative respondent, ut id tamen non ita liquere fereantur: imo vero ultra citroque concedunt, non posse factum illud, juxta communis prudentiæ regulas, approbari, aut quasi imitandum proponi. Qua in re mecum ipsi aperte consentiunt; etsi obiter subinde distideant, dum exemplis nonnullis minus appositis levissimisque conjecturis probare in Pyrausta videntur, quod